

cuinas Provinciae suae conquirere, multas irrogatas, vel pignoribus ablatis, colligere, & arario inferre: Iudicibus praesto adesse, & eorum mandata exequi, Duodecim viros cogere, qui in causis de facto cognoscunt, & ad Iudices referunt, (Iudices enim apud nos juris solum, non facti sunt Iudices) condemnatos ad supplicium ducere, & in minoribus litibus cognoscere. Constituantur etiam in singulis Comitatibus quidam Eirenarchae, sive *Pacis Iustitiarum* instituto Regis Edwardi Tertii, qui de *murdris, felonis, transgressionibus*, ut vocant, & multis aliis delictis cognoscunt. Adhuc Rex quotannis duos ex Iustitiariis Angliae in quemlibet Comitatum emittit, ut de incarceratis sententiam ferant, & *Gaolam*, ut Iuridico verbo utar, *deliberent*. De quibus postea in Tribunalibus.

Quod ad Ecclesiasticam jurisdictionem attinet; Cum Romani Pontifices Ecclesias singulas singulis presbyteris assignassent, & parochias eis divisissent, Honorius Archiepiscopus Cantuariensis circa annum a salute reparata 636, Angliam primus in Parochias, ut legitur in historia Cantuariensi, distribuere cepit.

Duas autem nunc habet Anglia provincias, Archiepiscopos item duos, Cantuariensem nimirum, totius Angliae Primatem, & Metropolitanum: & Eboracensem. Quibus subsunt xxv Episcopi: Cantuariensi xxii, Eboracensi tres reliqui. Qui vero sunt hi Episcopatus, cum Comitatibus, sive Diocesis, quas nunc obtinent, optimus ille & reverendissimus pater Matthaeus Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis, optimarum literarum patronus, & antiquitatis summe studiosus his suis verbis ostendit.

I N P R O V I N C I A
C A N T V A R I E N S I .

Cantuariensis cum Roffensi ipsum Cantium Comitatum continet. Londinensis Essexiam, Middlesexiam, partemque Hertfordensis Comitatus. Cestrensis Southsexiam. Wintoniensis Southamptonensem, Surriam, & Vectam Insulam; Gernseiam, & Ierseiam insulas Normanniae adjacentes. Salisburienensis Wilcheriam, & Berberiam. Exoniensis Devoniam, & Cornubiam. Bathoniensis & Wellensis simul juncta Somersetum. Glocestrensis Glocestrensem. Wigorniensis Wigorniensem, & partem Warwickensis. Herefordensis Herefordensem, & partem Salopiensis. Coventrensis, & Lichfieldensis una copulata, Staffordensem, Derbiam, & reliquam partem Warwickensis, nec non Salopiensis partem eam, quae ad Repillum fluvium spectat. Tum Lincolnensem omnium maximum sex terminant Comitatus, Lincolnensis, Leicestrensis, Huntingdonam, Bedfordensem, Buckinghamensem, & reliqua pars Hertfordensis. Eliensem Cantabrigia, ipsaque Elie insula. Nordovicensem Norfolcia, atque Suffolcia. Oxfordensem Oxfordensem. Petroburchensem Northamptonam, & Rutelandiam. Bristolensemque Dorcestria. Quibus xviii in Anglia Diocesis addendae sunt Valliae, sive Cambriae Diocesis, quae & Archiepiscopatu proprio privata, & numero extenuatae sunt, septem vix in quatuor abeuntibus, quae sunt Menevensis, quae ad Fanum S. Davidis sedet, Landavensis, Banchovensis, & Assaphensis, sive Ekenensis.

I N P R O V I N C I A
E B O R A C E N S I .

Eboracensis ipse comprehendit agrum Eboracensem, & Nottinghamensem. Cestrensis Cestriam Comitatum, Richmondiam, & Lancastriam, partemque Cumbriae, Flintae, & Denbyghae, continet. Dunelmensis autem ipsum Dunelmensem, atque Northumbriam. Carliolensis Cumbriae partem, & Westmoriamque Comitatus cingit. His Sodorensem in insula Mona, quae vulgo Man dicitur, adjungas.

Inter hos primum locum habet Archiepiscopus Cantuariensis, secundum Eboracensis, tertium Episcopus Londinensis, quartum Dunelmensis, quintum Wintoniensis: reliqui ut consecratione priores, ita loco potiores. Si quis autem ex aliis Episcopis fuerit Regi Secretarius locum quintum suo jure sibi vendicat. Sunt praeterea in Anglia Decanatus xxvi, e quibus xii in majoribus ecclesiis, monachis exturbatis, ab Henrico Octavo fuerunt instituti. Archidiaconatus lx, Dignitates, & Praebendae dxliiii.

Numerantur etiam Parochiales ecclesiae sub Episcopis 9284. e quibus 3845 sunt *Appropiate*, ut habetur in Catalogo Regi Iacobo exhibito, quem hic subjunxi. Ecclesiae vero *Appropiate* dicuntur, quae papali intercedente auctoritate, cum Regis, & Episcopi Diocesis consensu, Monasteriis, Episcopatibus, Collegiis, & hospitalibus exiliter dotatis, vel quod in eorum praediis fuerint constructae, vel a praediorum dominis concessae, certis conditionibus colligatae; vel ut formularii loquuntur, *unita, annexa, & incorporata in perpetuum*: quae postea subversis monasteriis, magno Ecclesiae damno *Feuda facta fuerunt Laicalia*.

	D I O E C E S E S	Ecclesia Parochiales.	Ecclesia Appropriata.	
	Cantuariensis	257	140	
	Londinensis	623	189	
	Wintoniensis	362	131	
	Coventrensis & Lichfeld	557	250	
	Sarisburienensis	248	109	
	Bath, & Wellensis	388	160	
	Lincolnensis	1255	577	
	Petroburchensis	293	91	
	Exoniensis	604	239	
In Provincia Cantuariensi	Glocestrensis	267	125	
	Herefordensis	313	166	
	Norwicensis	1121	385	
	Elyensis	141	75	
	Roffensis	98	36	
	Cicestrensis	250	112	
	Oxonensis	195	88	
	Wigorniensis	241	76	
	Bristolensis	236	64	
	Menevensis	308	120	
	Bangorensis	107	36	
	Lhandaffensis	177	98	
	Asaphensis	121	19	
	Peculiares in Provincia Cantuar.	57	14	
	Summa Provinciae Cantuariensis		8219	3303
	In Provincia Eboracensi	Eboracensis	581	336
		Dunelmensis	135	87
Cestrensis		256	101	
Carleoleensis		93	18	
		1065	592	
Summa totalis in utraq; Provincia.		9284	3845	